DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.
QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis septimâ Januarii anni M. DCC. XXXIV.

M. HYACINTHO-THEODORO BARON, *Filio*, Doctore Medico, Præside. auctore.

An solvendis pertinacibus Sanguinis in Cerebro Congestionibus Jugularis Venæ Sectio?

I.

PRÆSENTISSIMUM in morbis omnibus, præsertim in acutis, auxilium, Sanguinis eductio. Morborum fœcundissima parens Plethora, vel lautiore victu, vel suppressis Evacuationibus inducta, mittendi sanguinis necessitatem arguit: Naturâ monstrante viam, sive dum salutaribus sibi prospicit Hæmorrhagiis, sive dum ipsa commonet, ut sanguini periculosiùs erumpenti tutior paretur exitus. Nec soli removendæ Plenitudini accommodatam sanguinis missionem putes. Congestionibus dissolvendis, discutiendis inflammationibus frequens & repetita juvat. Sæpius in mittendo sanguine ultra modum progredi salutare est. Pungens torquet Plevritis? suffocans urget Angina? æstuat continuæ Febris assiduus ardor? tunc coriacea hæret in Capillatibus sanguinis inflammati compages, quam vix perdomabis nisi corpus exangue reddideris. At in chronicis chirurgi temperanda manus; cum à partis alicujus vitio plerumque dependeant, vel à corporis cacochymiâ, Sanguinis missione pluries repetitâ, non emendabili. Portò Sanguinis educendi non unica ratio. Modò cutem profundiùs scarificando, immò ventosâ desuper sugente Cucurbitâ, trahitur cruor nimis crudeliter. Modò delicatioribus applicata partibus Hirudo, Sanguinem avido ore sugit. Est ubi arteriæ ossibus & cuti adrepentes, quæ faciliùs ideo sectioni subjacent, & sectæ feliciùs comprimuntur, ut in fronte, temporibus, pone auriculas apertæ, salientem & rutilum demittunt sanguinem cum levamine. Demum majores venarum rami, quá prodeunt extimiùs, intercepto per ligaturam sanguine tumentes, scalpello feriuntur, per fasciam leviter comprimentem, educto sanguine, præcludendi. Hæ omnes, vel in primis Medicinæ temporibus, mittendi sanguinis adhibitæ sunt Encheireses, & usque diem adhibentur, prævalente tamen venæ sectionis usu. In fronte, temporibus, pone aures, in oculorum angulo, sub linguâ, in jugulo, pectore, cubito, manu, poplite, pedibus, secuerunt venas Medici veteres, earum, ratione partis ægrotantis, habito delectu, quem dirigebat observatio præjudiciis adulterata, potiùsquàm venarum distributionis, motûsque sanguinis adæquata cognitio. In brachio, pede, & jugulo, vix alibi, hodie tunditur vena. In cervice, jugularis externa; in brachio, cephalica, cubitalis & media; in pede, saphæna omnium instar sufficiunt. Has pauciores venas, respectu partium ægrotantium quibus respondent,

prudenter deligere summus est Medicinæ labor: earum sectionem diversis visceribus affectis apposité præscribere, variis morborum temporibus aptare sapienter, summa Medici laus est atque perfectio. Qui venæ sectionis ope morbis adversari fatagit, is ad venarum delectum imprimis attendere debet, cujus utilitas, veteribus, sanguinis circulationem ignorantibus, experimentis innotuit: cujus necessitas, detecto nunc sanguinis circulari motu, abundè patet. Vacuandæ soli plethoræ non parum interest quam secueris venam; quantò magis, si urgeat partis alicujus inflammatio, aut tenaciùs hæreat alicubi dimovendus humor. Ut medicamentorum salutaris usus à prudentis Medici delectu & opportunâ administratione omninò dependet, sic & venæ sectionis effectus, pro circumstantiarum ætatis, temperamenti, plenitudinis, visceris affecti varietate, plurimùm variabiles, sapienter dirigi postulant. Utinam, in determinando venæ sectionis delectu, præclarum istud circulationis inventum, & apprimè cognita vasorum ramificatio, desideratam attulissent certitudinis normam! Sed huic delectui perficiendo, non satis est vasorum exortum, progressus, diametros, communicationes cognoscere, non satis est solerti calculo, sæpiùs fallaci, ea quæ vulgaribus machinis accidunt ad corpus humanum transferre. Solus equidem sectioni subjiciendam rectè deliget venam, qui vasorum distributiones sagaci scalpello prosecutus est, solus qui legum hydrolicarum apprimè gnarus est; malè verò qui ad hasce leges, hancque distributionem attenderit tantummodò. Peculiaris quædam est corporis humani fabrica, peculiaris est in eo fluidorum circulantium natura, peculiares sunt in illius liquoribus fluendi leges, quas rimari, observare, scrutari necessum est. Sic præjudiciorum exutâ labe intelliges, eam esse, in removendis infarctibus, venæ sectionis administrandæ rationem, ut imprimìs majora vasa vacuentur. Depletis enim majoribus vasis, liquores in Capillaribus ingurgitati ad ea confluunt; sin minùs, sectâ ipsius partis affectæ venâ, potentiùs eliminantur. Illius namque venæ sectio demoliendis pertinacibus cujuslibet partis obstructionibus accommodatissima est, quâ sanguis infartus ex ipsâ parte deducitur.

II.

TRIPLICEM venæ Sectionis effectum agnovit, sedula naturæ observatrix, Antiquitas; incisâ nempe venâ, è corpore vacuatur sanguis, vel cæsâ in distanti loco venâ, à morbi sede revellitur, vel ex ipsâ parte derivatur foras. Evacuationem, derivationem, & revulsionem admiserunt etiam subtilioris Physicæ principiis addicti Medici recentiores: id cuilibet venæ sectioni tribuentes, ut dum è corpore sanguinem evacuat, majorem simul fluidi copiam adducat, seu, ut aiunt, derivet in partem, ubi vulnus inflictum venæ resistentiam sustulit, & ex oppositâ pari quantitate revellat. Triplex illa venæ sectionis operatio dissimilis, veteres impulit, ut in venarum delectu, remotam à parte affectâ primò tunderent venam, & ex ipsâ postmodùm parte derivando, sanguinem educerent; nisi forte affluentis humoris copia, aut congesti fluiditas à finitimo loco ordiri suaderet. Recentiores contra revulsioni omnino insistentes, sanguinem ex ipsâ parte mittere, venamque ipsi quocumque modo respondentem percutere, periculi plenum esse statuerunt. Veterum observationem non illustraverat ignotus tunc temporis sanguinis circularis motus. Recentiores plurimùm occupavit ingens, quam cognita circulatio in medicinam intulit, ratiocinandi cupiditas. Sed corpus humanum & si constet vasculis & humoribus ea præterfluentibus, ipsius tamen, ac hydrolicæ vulgaris artificii machinæ, longe alia ratio est. Illius vasorum figura & flexibilitas, eorumdem capillaris tenuitas, diversæ pro diversis partibus distributiones, plicaturæ, dispositiones, virium motricium diversæ & multiplices potentiæ, fluentis humoris substantia dissimilis, diversus in singulis corporis cavitatibus fluidorum motus, non vulgarem demonstrant in sanguine circulandi modum, non vulgaribus adstrictum legibus. Ne putes igitur te misso ex oppositâ parte sanguine, affectam partem revulsionis ope sublevaturum esse. Qui fluit in inferiori parte sanguis, per venæ commissuram prosilit, nec ideo commovetur hærens in superiore fluidum. Non sic in hominum corporibus obsequitur fluidorum

motus. Hoc impedit tubulorum capillatium, quibus componuntur, singularis proprietas, qui invitis veluti legibus mechanicis contentum liquorem avide retinent: vetat liquoris per vasa fluentis glutinosa crassities, quæ impressæ determinationi non facilè obtemperat; prohibet major plerumque humorum copia, quæ libero fluidorum motui moras & impedimenta nectit. Sed in corporibus ægris quantò magis anomalæ fiunt motûs fluidorum leges? Lubet considerare vasa erethismo constricta, quæ præterfluens liquidum fortiter retinent, aut appellenti denegant aditum; alibi nimiùm laxata, fluidorum stagnationi ansam præbent. Hìc tenacior hæret in vasis humorum substantia, vix dimovenda; illìc copiosiori humore saginata turgent viscera. Credisne sic se habente corporis machinâ, te, venæ sectionis ope, sanguinem quò volueris esse determinaturum, unde libuerit revocaturum? Minimè. Ut corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida reddere, sic mobilis fiat humor necessum est, priusquàm specificâ venæ sectione dimoveatur. Nec reformidanda ea est venæ sectioni adscripta proprietas, ne scilicet partem in quâ celebratur, majori gravet appellentis uberiùs copiâ sanguinis. Si eum alliciat inducta minor, per solutam venæ continuitatem, resistentia, pari proportione vacuatur foras, cum major ipsius appulsus non aliunde quàm ex ipsâ vacuatione procedat & æstimetur. Neque ex illo uberiori appulsu, nimiùm Sanguinis in arteriam venæ respondentem, illiusque laterales surculos allici, & ex oppositâ parte plurimùm revelli rectè concluderes. Quin immò minorem in apertâ venâ resistentiam offendens liquor, ex vicinioribus arteriis collateralibus sese subriperet, apertum ramum ingressurus, eâ quâ appellit proportione, foras dimittendus. Quid esset consilii, ad affectam partem sublevandam auxilium adhibere, quo pars sana ægrotaret atque læderetur? Sed ne minorem quidem fluenti sanguini resistentiam offert soluta venæ continuitas. Fluenti per venas ad cordis cavum patet cruori liberior via, quàm per inflictum vulnus erumpenti. Hoc efficit, venæ sectionis comes, firmior ligatura, membri venas ad turgescentiam stuporemque comprimens. Et ideo tantùm per aperturam venæ prosilit humor, quia intercepto per ligaturam illius refluxu, huc vergere cogitur, quò datur exitus. Sublato quippe ligaturæ vinculo, subsistit cruor, patentiores permeans faciliùs plurium venarum alveos, quàm strictiorem perrumpens unius venæ aperturam. Commentitia sunt igitur istius derivationis pericula, fictitia sunt revulsionis commoda. Non alia est sanguinis ad partem apertæ venæ oppositam appellentis imminutio, quàm quæ, evacuato sanguine, omnibus corporis partibus æqualiter competit. Vix intra venæ sectionis tempus, cujus limites non potest transgredi derivationis & revulsionis actio, venæ sectionis persentiuntur effectus, aut si qui contingant, evacuationi tribuendum. Majora tantùm vasa primariò deplet venæ sectio: id patet ex eo quòd in doloribus inflammationibusque, non subitanea sit venæ sectionis utilitas, sed hæc paulatim percipiatur, quâ proportione scilicet, in depleta majora vasa, minora contentum & hærentem evomunt cruorem. Hinc resplendescit venæ sectionis, ad animi deliquium à veteribus celebratæ, præstantia. Per tempus enim quasi interrupto, propter vasorum inanitionem, sanguinis circulo, è capillatibus vasis ingurgitatus humor confluit copiosiùs, vacua majorum resarciturus. Non ad extremos usque vasorum fines protenditur subitò venæ sectionis effectus, ut hærentem ibi humorem revellat, aut fluentem, derivando, congerat. Qui diversæ venæ sectionis varias operationes expensurus est, ad venas, quarum sanguis educitur, attendere debet, de arteriis ipsis respondentibus parum sollicitus, eò magis quòd, per inextricabilem venarum cum arteriis communicationem, ignotis legibus adstringatur sanguinis motus. Porrò incisâ quâlibet venâ, pars sanguinis ad cor remeantis intercepta subtrahitur, & hæc vena, ad thalamum usque cordis, magis vacua remanet. Hoc nititur principio tota venæ sectionis administrandæ ratio. Namque acceptum minore copiâ sanguinem, minore copiâ in singulas distribuit partes cordis anthlia; & aliunde ad inanitam sanguinis missione venam, per venas huic inhiantes, fluunt è visceribus collaterales sanguinis rivuli, eaque peculiariter exonerant. Unicum igitur agnoscimus.

venæ ſectionis effectum, Evacuationem, quæ vel toti corpori communis eſt, vel alicui parti, aut cavitati propria. Nec ſi unica ſit venæ ſectionis actio, ideo negligendus venarum delectus. In aſſignando generalis evacuationis uſus, in decernendâ ſanguinis ex ipsâ parte affectâ mittendi opportunitate, in deſignandâ venâ, cujus ſectione alterutrum attigeris ſcopum, exquiſitiori ſemper erit opus prudentiâ. Suæ ſunt evacuationi generali, ſua ſunt & particulari occaſiones, modi, tempora. Num redundantem cogitas mittere ſanguinem? num inſtat & urget, à cujuſcumque partis infarctu, gravior affectus? Cave ne ſaphœnæ, aut jugularis venæ ſectionis periculoſa maturatio metuendas in viſceribus adjacentibus ſuſcitet turbas, & minùs nocitutam alioquî plethoram funeſtè commoveat. Immaturè depletis in morborum principio viſcerum venis, male ſequitur utplurimùm nimis intricatus humor, & concidentibus vaſis, concidit ipſe liquorum motus: vel dum fruſtra ſeſe commovere nititur craſſius fluidum, ingurgitatur ampliùs. Incunte morbo venas in brachio tundere proderit, non quòd faciliùs & minore apparatu, ſed quia tutiùs. Ea ſi quidem eſt, in evacuando ſanguine, Brachii venarum ſectionis generalior utilitas, quòd cum paucioribus reſpondeant communicentque partibus, male fluentes intra delicatiorem nobiliorum partium ſubſtantiam non commoveat ſuccos; ſed breviore viâ, & abſque tumultu nimiam cordi ſubripiat fluidi copiam. Num, pluries ſic miſſo ſanguine, reſtat interea pertinax Congeſtio? tunc generali corporis evacuationi, peculiaris partis affectæ vacuatio opportunè ſuccedet.

III.

CEREBRI mollis delicatiorque compages, ſolidior quæ cerebrum obvolvit oſſium coagmentatio, ſunt equidem ſagacis naturæ & ſublime quid cogitantis opera. Tenuem ſpirituum auram à ſanguine ſeparare ſatagens, molle, quo retunderetur humorum vis, oppoſuit viſcus, exiliſſimis compactum tubulis, qui ſpiritalem tranſmitterent halitum. Artificioſam hanc cerebri mollitiem protegit oſſea calvariæ durities, tum tranſmittendis ſanguiferis canalibus, tum dimittendis ſpirituum ſcaturiginibus, opportunis pervia foraminibus. Eximium iſtud artificium non expers diſcriminis. Si extus plura declinantur, plura imminent intus animæ domicilio pericula. Ut cæteris partibus, ſic cerebro ſui ſunt, ex ſtructurâ pullulantes morbi, eò deteriores, quòd ipſo affecto, perturbentur motûs, ſensûs, vitæque ipſius puriſſimi fontes. Duræ piæque Menyngis, quibus involvitur penetraturque cerebrum, firmior tenſio, exquiſitiorque ſenſus: hanc illamque membranam perreptantia vaſa: arteriarum carotidum & vertebralium numeroſa ramificatio, corticalem medullaremque ſubſtantiam ubique pererrans: ſinuum revehendo ſanguini deſtinatorum amplior alveus: excipiendæ ſeroſæ colluviei deſtinatæ ventriculorum cavitates: variæ diverſi generis prominentiæ, nervorum veluti parentes: plexus choroidei elegans tenuitas & mirabile rete: nervorum naſcentium diſpoſitiones, tractus, exitus è cranio, involucra à menyngibus propagata; hæc omnia, intricatam licet, cerebri fabricam perſcrutanti totidem deprehenduntur, vel crudelium morborum ſedes, vel urgentium ſymptomatum cauſæ. Multiplices nobiliſſimi viſceris affectus, ab infarto congeſtoque in illius vaſa ſanguine, non malè reſumes. Si turgeat in menyngum vaſculis ſanguis uberior, jam ſatis extenſas dum tendit ulteriùs ſenſibilis membranæ fibrillas, eas diſtrahit, & lancinantes, pungentes, aut pulſantes ſuſcitat immanis cephalalgiæ dolores: quibus modò pars aliqua capitis, modò miſerè torquetur univerſum ac veluti laceratur, ad alias interim corporis partes, per membranacea nervorum involucra, ſerpente nonnumquam irritationis ſtimulo. Si nervum opticum ſtipantes arteriolæ, vel eæ quæ ad aurium ſpeluncas propagantur, nimio turgentes ſanguine, validiùs & frequentiùs oſcillent; perturbato ſpirituum motu, vertiginem & aurium tinnitus ac ſuſurros excitant. Si ſanguinis in menyngibus & cinereâ cerebri ſubſtantiâ congeſtionem comitetur febris ac inflammatio; jam perversâ ſpirituum ſecretione, ipſorumque concitato motu, pro diverſo morbi gradu, pertinaciter vigilat, aut perturbato ſopore fatigatur ægrotans, phreniticus delirat, furit,

convulſivis motibus agitatur. Nec alia eſt affectibus ſoporoſis origo, quàm quòd congeſto ſanguine tumentia nimiùm corticalis ſubſtantiæ vaſcula, ſecretoria ſpiritûs animalis organa plùs minùſve comprimendo, vivificum ipſius præpediunt influxum, pluresque mortis adumbrant imagines. Hic, de cætero valens, ſegni obruitur ſomnolentiâ; ille ſenſu motu & memoriâ privatus, accedente febre, gravi premitur lethargo. Alter continuo indulgens ſomno, vixque clamore aut punctione expergefactus iterum obdormiens, ſomnolento laborat comate. Alius vigili comate torquetur, dum ineluctabili ad ſomnum propenſioni ineluctabilis jungitur vigilia, ſi mitiùs premat vaſorum congeſtio, eaque ſpirituum propagationi oſcillatione ſuâ famulentur. Nihil aliud quàm vaſa medullari cerebri ſubſtantiæ inrertexta, congeſto ſanguine ſi turgeant, omnimodam inducunt ſenſûs motûſque, cum febre & ſtertore privationem, apoplexiam: difficile medicabilem, ſi levior, à ſolâ nervorum per vaſa compreſſione germinet, curabilem numquam, ſi fortis, ab effuſo ex tumidioribus vaſis, & inundante nervorum primordia ſanguine vel ſero producatur. Quid nervorum reſolutionem, apoplexiæ fidelem aſſeclam, inducit? niſi ſanguinis ad vaſa congeſtio, nervorum originem hac aut in illâ parte, medullamque oblongatam, ſpinalemve comprimens; unde cæcitas, aphonia, ſurditas, hemiplegia, vel completa paralyſis funeſtè ſoboleſcunt. Quid aliud incubus? quàm levior cerebelli congeſtio, quæ ſpirituum ad partes vitales intercipiens fluxum, grave pondus æmulantem ſuſcitat præcordiorum anguſtiam, & ſpectri incumbentis imagine fictitiâ mentem deludit. Unde-nam repeti debent ſtupenda catalepticorum immobilitas, enormes epilepticorum ſpumantium, ſeſeque miris modis contorquentium motus? unde-nam perverſæ melancholicorum cogitationes, furibunda maniacorum deliramenta & robur formidabile? unde-nam numeroſa ſpaſmodicorum affectuum familia? niſi à perverſo aut impedito per cerebri vaſa ſanguinis motu, ipſiuſque congeſtione, quam ſequitur cruoris ibi ſtagnantis corruptio, & acrioris ſeri in nervos depluentis exſudatio. Illam ſaltem congeſtionem herculeos hoſce affectus produxiſſe patet, tum ex cauſis eorum antecedentibus, curis, ſollicitudinibus, ſtudio contentiori, ebrietate, vehementibus animi pathematis, quæ omnes ſanguinem ad cerebrum majori copiâ determinant, tum ex gravativo his in morbis capitis dolore, tum ex anatomicâ Cadaverum exploratione demonſtratur. Sic plures graviſſimos affectus ſuſcitat ſanguinis in capite congeſtio, eò frequentior in hâc parte, quòd vaſa, cranium dum ſubeunt, exteriorem membranam exuant, minùſque dein appellenti fluido reſiſtant; eò funeſtior, quòd dilatata nimium vaſa, cranio cedere neſcio coercita, urgeant valentiori compreſſione cerebrum. Tot ſymptomatum pertinacem cauſam longiùs amovere ſi cupias, & laboranti cerebro efficaciter ſuccurrere, proderit venam in jugulo tundere; hujus quippe venæ ſectio pertinaciter infartum in cerebro ſanguinem evacuat.

IV.

MULTIPLICI de cauſâ accidere poteſt infarctus in cerebro: modò craſſior ſanguis & malè ſubactus in hujus viſceris capillaribus hæret, nec eâ per venas proportione fluit, quâ vehitur arteriis. Interdùm, ſpaſmo conſtrictis cerebri membranis, difficilè progrediens aggeritur humor. Aliarum quandoque partium vitio laborat cerebrum, dum nempè per impedita Abdominis viſcera vix prætergrediens purpureus latex, ad capitis arterias refluit, ibi congerendus; vel intra pulmonum vaſa ægrè admiſſus, in venis à cerebro reducibus cumulatur, mox recenſitas editurus ſtrages; brevique, pro acceptis à viſcerum refluo ſanguine periculis, cohibito aut perverſo ſpirituum influxu, redduntur pericula. His ut medearis affectibus, venæ ſectione nullum efficacius remedium. Hæc ita adminiſtranda eſt, ut, ſi ex conſenſu partis alicujus ingurgitatæ doleat caput, primò per affectam partem liber reſtituatur fluidorum motus. In brachio celebrata curationem feliciter auſpicabitur venæ ſectio, quâ ſcilicet placidè majora corporis inaniuntur vaſa, ut in ea faciliùs evomant Capillaria ſanguinem, quo nimiùm turgent. Immò totam fortè paginam adimplebit hæc eadem, ſæpius repetita, ſi ex pulmonum infarctu congeratur in cerebro fluidum,

nulla quippe venæ ſectio majorem ſtatim dextro cordis ventriculo, pulmonibuſque ſubtrahit ſanguinis copiam; cum ab ipſis pulmonum venis ſanguinem ducere non concedatur. Peculiarem à dextro cordis venrriculo ad ſiniſtrum, per pneumaticum illud organum, cruoris circulationem, non-niſi totum corpus potentiùs evacuando licet attingere. Exonerando capiti ſua erit & ſaphœnæ ſectioni utilitas eximia. Non quidem ut ſanguinem ad inferiores partes copioſiùs determinando, illum, majori impetu propulſum ſuperiùs, revellat à cerebro; quin è contra, ſi malè fluentibus ſuccis infarciantur Abdominis viſcera, educto per ſaphœnam ſanguine, minor ad cavæ venæ truncum inferiorem fluit copia ſauguinis, cujus ut reparetur penuria, à viſceribus nimiùm turgidis confluunt liquores, ſicque ſublatis in Abdomine ſanguinis motûs impedimentis, jam ille non refluit ad cerebrum. Verùm ſi probè vacuato corpore, ſi reſtituto per viſcera & præcordia ſanguinis libero motu, non ideo recedant nata ex cerebri congeſtione ſymptomata; tunc pertinax infarctus, ſectâ jugulari venâ, aggrediendus eſt. Sæpè licet nec ſanguis uberior feratur ad cerebrum, nec jam tenaciùs hæreat in tubulis; ex nimiâ tamen, quæ preceſſerit diſtenſione, ultra tonum expanſi firmiori membranâ carentes in cerebro tubuli, varicoſi quodammodo remanent, & reſilire, & congeſtum humorem exprimere impares. Supra modum dilatati duræ menyngis ſinus craſſum & malè fluentem continent ſanguinem, qui non-niſi aperto in ipsâ parte faciliori exitu evacuabitur. Porrò jugularis vena utrimque duplex. Interna, ſinui duræ menyngis laterali ad foramen cranii laciniatum inſerta, reducem à cerebro ſanguinem excipit, & ad tracheæ latus deliteſcens progreditur deorſum. Exterior capillamentis ſuis carotidi externæ continua, cutaneo colli muſculo ſubjecta deſcendit à capite, & ambæ ſimul concurrentes in ſubclaviam venam terminantur. Utraque ad maxillæ inferioris angulum craſſo & breviori ramo, aliiſque pluribus ramuſculis invicem facilè communicant: hinc miſſo è jugulari externâ ſanguine, evacuationis effectum perſentit ipſa jugularis interior. Dum enim manat ex inflicto vulnere in externâ jugulari contentus humor, per mutuæ communicarionis ramos, fluit ex internâ ſtagnans in latiore ſinuum alveo fluidum: inanitis ſinubus, confluit venis tenuioribus ingurgitatus humor, & ultra modum expanſus debilior vaſorum cerebri tonus reſilit exonerato vaſe. Aliunde ducto è jugulari venâ exreriori ſanguine, minor tunc communi jugularium trunco, aut ſubclaviæ venæ ſuppeditatur fluidi copia, unde minorem ibi reſiſtentiam nactus è jugulari internâ prorumpens humor, jam copioſiùs affluit à cerebro, productum evacuatione vacuum reſarciturus. Sic duplici modo congeſtus in capite vacuatur cruor, & eclipſim paſſa reſplendeſcit iterum cerebri functio. In hac adminiſtrandâ venæ ſectione naturæ veſtigiis tutus incedes. Hæc nimio congeſti ſanguinis gravata pondere, illum ex ipsâ parte ſæpiùs evacuat, manifeſto cum levamine. Pulſat in capite gravativus dolor, rubore ſplendeſcit facies, delirat, obſurdeſcit æger? ſtillante per nares ſanguine judicatut morbus. Cruore ad pectus congeſto, urget pleuvriticum dolor acutiſſimus, peripneumoniâ decumbens ſuffocationi proximus eſt? prorumpente ſanguinis ſpuro ſublevantur ambo. Dolent hypochondria tumentque, anxius jactatur ægrotans? ruptis hæmorrhoidibus mitiùs habet. Premit in fœminis lumborum dolor & gravitas, colici perſentiuntur motus? fluentibus menſtruis omnia ſedantur. Hæc naturæ vegetioris, ſeſeque expedientis molimina totidem, in mittendo ſanguine, imitanda nobis proponuntur exempla. Hæc ad aperiendam proximam partis affectæ venam animos addunt, cum planè demonſtrent hac viâ diſſolvi congeſtiones, nedum majori allectâ ſanguinis mole pars infarciatur ampliùs. Nec ſanè deerit ſucceſsûs felicitas, ſpondente experientiâ artis naturam ſuis operibus æmulantis. Proximi vaſis ab Hippocrate imperata ſectio, dolenti parti inflictæ ſcarificationes, applicatæ cucurbitulæ, linguæ & gutturis infarctibus præſcripta ranularum apertio, admoræ partibus ingurgitatis hirudines, inciſa feliciter paralitici membri vena, noſtris temporibus celebrata laborantis oculi phleborotomiâ, aut vaſculorum tunicam conjunctivam perreptantium artificioſa laceratio, totidem

ſunt à naturâ indicatæ partis affectæ vacuationes, quarum utilitatem conſecravit uſus. Nec diſſimilis erit jugularis venæ ſectionis, ut in operando modus, ſic & in medendo efficacitas. Hæc capiti proxima pertinaciter ſtagnantem in eo ſanguinem evacuabit potentiùs.

V.

INTER morbos quibus jugularis venæ ſectio decernitur, febres malignas meritò recenſebis, quarum ſymptomata, à congeſto in cerebri vaſa ſanguine, ſoboleſcunt. At non te alienet malignitatis vocabulum, uſurpatum fortè frequentiùs, non ideo prorſus ablegandum. Non enim futilis eſt morborum in benignos & malignos à veteribus prolata diſtinctio. Fit interdum ut, ſimulatâ benignitate, levia producat ſymptomata morbus, cum tamen ſit graviſſimus & periculoſiſſimus. Aliquid reale eſt febrium quarumdam malignitas, ſummâ Medici attentione dignoſcenda: eò magis reformidandus hoſtis, quò primâ fronte mitior apparet, crudelem in poſterùm cataſtrophen editurus. Equidem in ſuſcitandis Febrium motibus is eſt naturæ mechaniſmus excellentior, ut qui hætens in aliquâ parte, aut refluus in ſanguinem humor, conjunctam febrili perturbationi cauſam ſuppeditat, eorum quos excitavit motuum ope digeratur, attenuetur, ſponte foras eliminetur, vel Medici naturam ſpeculantis, & concocta medicantis artificio facilè vacuetur. Sic ſæpe benignioris morbus indolis, ſua decurrit ſalubriter tempora. At naturæ conatus intercipit quandoque ſymptomatum diſſimulata ferocitas, & quos ſalutarem in finem inſtituit natura motus, ſuffocat, aut in perniciem detorquet. Si nempe in cerebri vaſa congeratur humor. Tunc enim compreſſis nervis, impeditoque ſpirituum influxu, ſibi ipſi vires maligniùs præſcindere videtur febris. Hinc mitioris affectûs ſpecies inducitur. Incauto ſtruit inſidias medico pulſus debilior, nec admodùm frequens, urinaque non illaudabilis. Fallax virium proſtratio venæ ſectionem dehortatur malè ſuada. Capitis gravitas, obtuſuſque dolor urgens non oſtentant periculum. Mox, creſſcente morbo, ſequitur corporis & animi maxima defectio, ſiccior eſt lingua, areſcunt fauces, vigilia pertinax, ſomnuſve inſalubris ægrum debilitant ampliùs, malè cohærentia loquitur, ſubſultant tendines, delirat, ingenti capitis dolore, vel quod pejus eſt, nullo vexatus. His in febribus venæ ſectio inter morbi initia frequentiùs iteranda eſt, non obſtantibus ſimulatâ ſymptomatum manſuetudine, nec proſtratione virium; illæ quinimò miſſo ſanguine reviviſcunt, & evacuatâ ſanguinis nervos comprimentis mole, reſurgunt vegetiùs. At licet in cerebro potiſſimùm morbi tragædia peragi videatur, non ſoli capiti conſulendum. Abdomen in cerebri morbis peculiari attentione proſequendum. Intimior viget inter utrumque conſenſus. Difficilè in Abdominis viſcera progrediens ſanguis cerebri vaſa copioſiùs impetit. Id frequenter obſervatus in Hyſtericis Hipochondriaciſque affectibus, in quibus, dum ſpaſticis conſtrictionibus arctantur in Abdomine uteri aliarumve partium vaſa, aſcendens ad caput ex imis viſceribus percipitur calidior aura, ſenſibus & cerebro perturbationem inducens, totamque faciem flammeo rubore ſuffundens. Sed eò plura ex abdomine regurgitant in cerebrum, cum refluo ſanguine pericula, quòd illud totius corporis ſentina & inquinamentorum receptaculum, ſuccorum ſtagnationi valdè ſit obnoxium. Per mollem & teneram illius viſcerum compagem, per vaſa flaxidiori meſenterii adminiculo ſuffulta, per glandularum in eo diſperſarum debiliorem texturam, per vaſa plurimi generis ſuccos lenteſcentes ſæpius malè digeſtos vehentia, ſegniùs propulſi liquores ingurgitantur facilè; ſenſim ſine ſenſu cumulantur, parum renitente vaſorum huc illucve fluctuantium tono; ſicque congeſtionum in cerebro foventur primordia. Hinc plerumque crapulam excipit Apoplexia, quam ingens, per ſuperiora & inferiora, humorum ſtagnantium ex abdomine ſubducta colluvies mirifice ſublevat. Nec abſimili ratione in febribus malignis, alvum, decocto caſſiæ, ſtimulantibus aliquot tartari ſtibiati granis, ſollicitare, fluidamque continere proderit: ut ſcilicet in inteſtina confluentibus intra Meſenterii vaſa congeſtis liquoribus, liber reſtituatur in abdomine Sanguinis motus. Eumdem adimplebit ſcopum Saphœnæ ſectio, quæ ſaginata inaniendo viſcera, capitis exonerationi conſulit. Tandemque ſi pertinacior Cerebri non ceſ-

ferit congeſtio, apertâ jugulari venâ, miſſoque ex ipſâ parte ſanguine, prorumpet feliciùs ingurgitatus humor. Atque etiam in eligendâ alterutrius lateris jugulari venâ hoc notandum eſt, quod ſi obtuſior doloris ſenſus, majorque capitis gravitas, & virium dejectio, congeſto ſanguine, medullarem Cerebri ſubſtantiam, nervorumque principia comprimi deſignent, jugularem ſiniſtram percutere ſatius ſit: ſi magis acutus dolor, alacrior pulſus, aliaque vividiora Symptomata corticalem ſubſtantiam, membranaſque potiſſimùm affici demonſtrent, è jugulari dextrâ ſanguinem mittere proderit. Docet nimirum Anatomica capitis inſpectio ſinus duræ Menyngis laterales, jugularibus venis inſitos, dextrorſum quidem, ex longitudinali ſuperiore ſinu, ab exterioribus cerebri plagis ſanguinem accipere; dum ſinus longitudinalis inferior, & ille qui Torcular appellatur, ex intimis, inferioribuſque Cerebri partibus, in lateralem ſiniſtrum revehant ſanguinem. Hinc hujus aut illius jugularis venæ ſectio, in hâc aut in illâ cerebri parte congeſtum cruorem, ut rectiore viâ, ſic detrahit efficaciùs. Ipſius ſaphenæ ſectionis, in reſolvendis viſcerum abdominis, adjacentiumque partium infarctibus, præſtantia, quid valeat in cerebri congeſtionibus ſectio jugularis venæ apertè declarat. Illa quidem prudentiùs adhibita, humoribuſque, præmiſſis aliis evacuationibus, ad fluendum diſpoſitis, per inferiorem venæ cavæ truncum remeantis ad cor ſanguinis partem dum ſubripit, húc confluentes, nimium turgidas, vicinarum partium venas peculiariter exhaurit. Quoties hoc mechaniſmo tumidus à ſtagnantibus ſuccis detumuit venter, pertinax evanuit Hæmorrhoidum diſtenſio, colicæ Hæmorrhoidalis, ab ingurgitatâ Splenico-hæmorrhoidali venâ prognatæ, ſedata crudelitas? quoties renibus Nephritide conſtrictis reddita tranquillitas, interceptus urinæ fluxus redintegratus, ingurgitatum hepar reſeratum eſt? quoties Iſchiaticus dolor, ſectâ in eodem latere pedis venâ, conticuit? quoties, per opportunam ſaphœnæ ſectionem, congeſto ad uterum ſubducto ſanguine, enormis paſſionis Hyſtericæ Paroxiſmus concidit? quoties ægriùs exſudante menſtruorum lochiorumve fluxu, laudabilem provocavit evacuationem hæc ipſa ſaphœnæ ſectio. Nec ſanè majorem ſanguinis alliciendo copiam, ſed nimiam è majoribus vaſis minora comprimentibus, effluxumque remorantibus, evacuando profuit. Cohibitis menſibus aut lochiis, jam ſatis cumulatus in uteri vaſis humor, nec uberiùs, nec majori impetu determinari indiget ut erumpat. Balneis, emollientibus, tempeſtivâ ſaphœnæ ſectione, aliiſque partem nimiùm ingurgitatam laxantibus, infartus cruor promovetur plerumque feliciùs, quàm fortioribus emmenagogis, diſcutiendo humorum lentori relegandis. Ne credas colicos dolores, hanc ſaphœnæ ſectionem comitantes, ex uberiori ſanguinis ad uterum appulſu proficiſci. Hi, cum ultra venæ ſectionis tempus uterum excrucient, ſunt potiùs infarti ſanguinis ſeſe commoventis & fluere ſatagentis molimina. Brachii venarum ſectio, quæ id tantùm cum ſaphœnæ ſectione commune habet, ut majora inaniat vaſa, pares ſuſcitat dolores, ſupreſſo priùs, feliciter ſubſequente fluxu. Sic reſplendeſcit evacuationis præſtantia, longè efficacior, cum prudenter in ipsâ parte affectâ celebratur.

Ergo ſolvendis pertinacibus Sanguinis in Cerebro Congeſtionibus Jugularis Venæ Sectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Otto-Caſimirus Barſeknecht. — *M. Michael Peaget.* — *M. Thomas-Bernardus Bertrand, Scholarum Profeſſor.*

M. Robertus-Hubertus Linguet. — *M. Nicolaus le Tellier.* — *M. Ægidius Adam.*

M. Achilles-Franciſcus Fontaine. — *M. Petrus Aſſorty.* — *M. Camillus Falconet, ſalubris Regii Conſilii Socius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.*

Proponebat Pariſiis JACOBUS-ALBERTUS HAZON, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1734. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1734.